

DIE SECUNDO MENSIS SEPTEMBRIS ANNO BIS MILLESIMO DECIMO
WRATISLAVIAE DE VITA DECESSIT

LUDOVICA RYCHLEWSKA

UNIVERSITATIS WRATISLAVIENSIS PROFESTRIX ORDINARIA EMERITA

ALMAE MATRIS IOANNEO-CASIMIRIANAE LEOPOLIENSIS ALUMNA
POST BELLII UNIVERSALIS CALAMITATES LEOPOLIM
URBEM SEMPER SIBI PERIUCUNDAM
RELINQUERE COACTA WRATISLAVIAM SE CONTULIT
UBI TREDECIM PER LUSTRA STUDIIS LATINIS
GRAECIS ETIAM NEOLATINISQUE OPERAM SEDULO NAVAVIT

SCRIPTORUM ROMANORUM ANTE CICERONIS AETATEM VIGENTIUM
IMPRIMIS SCAENICORUM INVESTIGATRIX DILIGENTISSIMA
CUM ALIIS MAGNI MOMENTI DISPUTATIONIBUS COMPOSITIS
TUM TURPILIO COMICO APUD TEUBNERUM EDITO INCLARUIT

MULTOS PER ANNOS LITTERARUM LATINARUM OFFICINAM
IN INSTITUTO PHILOLOGIAE CLASSICAE ET CULTUS ANTIQUORUM CIVILIS
UNIVERSITATIS WRATISLAVIENSIS CONDITAM MODERATA EST
REBUSQUE ETIAM IPSIUS INSTITUTI PRAEFUIT

VETERUM ROMANORUM LINGVAE PERITISSIMA
COMPLURIBUS COMMENTATIONIBUS LATINO SERMONE IN LUCEM PROLATIS
IN NUMERUM ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE SODALIIUM EST RELATA

SOCIETATIS PHILOLOGAE POLONORUM REBUS AC RATIONIBUS
SEMPER INSERVIVIT
CERTAMINIBUSQUE LATINIS QUAE IN SCHOLIS POLONIAE PUBLICIS
QUOTANNIS EDUNTUR
UNA CUM ALIIS PRUDENTER PROSPEXIT

FEMINAM UT LITTERARUM ANTIQUARUM MIRE PERITAM
ITA PROBITATE HUMANITATEQUE CONSPICUAM
SOCIAM SUAM HONORIS CAUSA CREATAM
POST VITAM STUDIIS INSIGNEM INDUSTRIAQUE PLENAM
AETATIS ANNO NONAGESIMO QUARTO DEFUNCTAM
GRAVITER LUGEMUS

*SOCIETATIS PHILOLOGAE POLONORUM
SODALES SUPERSTITES*